

Dissertatio medica inauguralis, de rabie canina : quam annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Jacobus M'ilwaine, Hibernus. Societ. Chem. Edin. Soc. Extraord. Nec non Soc. Physic. Americ. Sodalis.

Contributors

M'Ilwaine, James.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh, 1787.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qfg6fp6u>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

RABIE CANINA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

OMNIBUSQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subijcit

JACOBUS M'ILWAINE,

HIBERNUS.

Societ. Chem. Edin. Soc. Extraord.

Nec non

Soc. Physic. Americ. Sodalis.

Conjecturalem artem esse medicinam, rationemque conjecturae
talem esse, ut cum saepius aliquando responderit, interdum tamen
fallat nos.

Celsus De re Med.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

5720 S. UNIVERSITY AVENUE

CHICAGO, ILL. 60637

PHYSICS DEPARTMENT

LIBRARY

5720 S. UNIVERSITY AVENUE

CHICAGO, ILL. 60637

PHYSICS DEPARTMENT

5720 S. UNIVERSITY AVENUE

CHICAGO, ILL. 60637

PHYSICS DEPARTMENT

LIBRARY

5720 S. UNIVERSITY AVENUE

CHICAGO, ILL. 60637

PHYSICS DEPARTMENT

LIBRARY

5720 S. UNIVERSITY AVENUE

CHICAGO, ILL. 60637

Viro praestantissimo

FRANCISCO HERVEY,

BRISTOLII COMITI,

Et

DERRIENSIS EPISCOPO,

Admodum venerando;

Non minus propter virtutes ejus innatas,

Eximias, et valde colendas,

Quam labores, quos publice

In Hiberniam impendit;

Haec studiorum suorum primitias,

Ut summae observantiae testimonium,

Dicatas esse

Voluit

A U C T O R.

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LIBRARY

DEPARTMENT OF GEOGRAPHY

1850

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LIBRARY

DEPARTMENT OF GEOGRAPHY

1850

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LIBRARY

DEPARTMENT OF GEOGRAPHY

1850

A U C T O R

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RABIE CANINA.

QUIA legibus almae hujus academiae sancitum est, unumquemque summos medicinae honores attingere cupientem, quoddam specimen in lucem proferre, quo monstretur illum aliquid saltem in arte salutari navasse, nec omnino imperitum esse, *de rabie canina* decrevi scribere: Ea enim morbus est, qui, quanquam non saepe obveniens, talis tamen habeatur, qualis (ut mea fert opinio) jure postulat, ut ejus natura sit medico non levi cura explorata: Quandocunque enim se obviam fert, sym-

A

ptomatis

ptomatis tam horrificis, et tantum periculi indicantibus stipatur, quod ni promptum auxilium adhibeatur, mors dira brevi sequitur.

DEFINITIO MORBI.

‘ Potionis cujuslibet, utpote convulsio-
 ‘ nem pharyngis dolentem cientis, fastidi-
 ‘ um et horror, plerumque e morfu anima-
 ‘ lis rabidi *.’

HISTORIA MORBI.

Quo tempore hic morbus homines infestare coepit, parum inter auctores convenit: Sed, quia constat, canes et alia animalia, quae ex iis huic morbo obnoxia sunt, atque a quibus homines infici solent, in om-
 ni

* Cull. Synops. Nosolog. Method.

ni quasi aevo extitisse, nobis forsitan colligere fas est, morbi hujus originem antiquiorem esse ulla historia, quam nobis medicorum scripta suppeditarunt.

Multis modis hoc venenum dictum est, inficere humanum genus :

1mo, Rabidorum animalium morfu ; et forte tam exquisite contagiosum sit, ut ad morbum inducendum sufficiat cutem, non autem sanguine detracto, perstringi.

2do, Spiritu in pulmones receptum, et fortasse cum pauxillo salivae commistum.

3tio, Aliqua parte cuticula non obtecta salivam, recentem ex ore, tangente.

4to, Aliquid hoc veneno tinctum pertractando *. Auctor merito inclytus memoravit, periculum minui, si dentes animalis rabie correpti inter mordendum per vestes densiores adigantur ; quia major spes est viri ab iis absterfi : Itaque idem, vulneri in ulla corporis nuda parte admotum, certius

* Boerhaave, Aphor. 1136.

tius nocivum esse. In tabulas quoque retulit idem auctor, seipsum exempla vidisse hujus veneni, nullo vulnere illato, per cutem permeantis *. Praecipue autem notabile est, id quod a Palmari narratur: ‘Ruf-
 ‘ticus qui hoc morbo laborabat, existimans
 ‘se cito periturum esse, ut ei liberos suos
 ‘osculari concederetur obsecravit; conces-
 ‘sum est, et ille non diu post animam ef-
 ‘flavit; at omnes liberi eodem malo corri-
 ‘piebantur, et septimo ab ejus incurfu die
 ‘interibant †.’ Simile exemplum retulit Schenkus, de patricio viro, qui rabiosum canem, antequam dimitteret strangulandum, osculatus, postea *hydrophobicus* periit ‡. Hoc omne in idem convenit cum eo quod novimus de aliorum morborum contagie per vasa absorbentia in corpus recepta. Labia enim, interior pars oris, fauces, et lingua,
 tam

* Sauvage, dissert. sur la caus. et la natur. de la rage.

† Palmari de morb. contag.

‡ Observat. med. lib. 8. p. 848.

tam tenui cuticula obteguntur, et lymphaticis adeo abundant, quod venenum ab iis facile absorberi potest.

Non erit huic loco alienum diligenter perpendere, num hic morbus unquam nascitur in humano corpore, nec vulneribus, nec quacunque alia externa causa illatus. Quod interdum sua sponte excitatur observationibus auctorum non parvi nominis verisimile redditum est *. Tale enim exemplum praebet illustr. Van Swieten, de juvene viginti novem annorum, temperamenti calidi et ficci, qui summa excandescens ira proprium digitum momordit, unde, intra viginta et quatuor horas, *hydrophobicus* factus est; et quidem adeo, ut, etiam aquae mentione facta, strangulari videretur; dein, *maniacus* ac plane furibundus evadens, subito periit, post aeruginosam materiam evomita bile mera. Adjungit istis idem scriptor, quod in hoc exemplo constitit illud

* Edinburgh Med. Essays, vol. 1.

Iud venenum per summum irae furorem natum fuisse in corpore, non vero aliunde accessisse *. Rem quoque similem narra- vit celeb. Boerhaave: Auditoribus enim suis affirmare solebat, se vidisse lictorem, cu- jus carnificem e longinquo accersere officium erat, ut publica de scelesto homine sumeretur poena, incidisse in febrem ardentis- simam, omnemque potum oblatum summo horrore repudiaffe, et tertio die periisse: Miser ille callidissima tempestate exercita- tione valida usus erat, deinde per quatuor horas nudato capite, solis radiis exposito, in scapha confederat, atque per totum diem ne ullum nisi ardentiozem laticem hauserat.

Salius Diverfus in muliere triginta sex annorum, febre pestilentij ^{detenta} primo, dein, hoc morbo expugnato, dysenterica reddita, at- que denuo curata, manente tamen quadam febricula, vidit hydrophobiam nasci, et qui- dem tali gradu, ut alios coram se bibentes sustinere

* Van Swiet. Comment. Boerhaave Aphor. 1130.

sustinere non posset: Mens tamen semper
 constabat, et octavo die, postquam omne
 liquidum horrere coepit, mortua est * ;
 cum a morfu rabiosi animalis *hydrophobici*
 facti raro quartum diem superare soleant.
 Ab his et multis aliis, quae hujusmodi variis
 scriptoribus narrantur, pro rato apud illos
 habitum est, talem morbum, ne ulla materia
 virosa in corpus admissa, innutriri aliquan-
 do; dicunt quoque, hanc morbi formam
 leniorem esse, et sublato faciliorem.

Ab istis vero exemplis, meo judicio, vix
 nobis licet inferre, eos, qui his symptoma-
 tis laborant rabie canina affectos esse: Et
 ad hanc opinionem amplectendam adducor,
 quia omnes isti auctores, tantummodo hy-
 drophobiae, quae rabiei verae non nisi
 symptoma unum inter multa est, mentio-
 nem fecere. Hoc aliquando in quibusdam
 malis, uti in febribus nonnullis, et interdum
 in hysteria, aliis, quae hunc morbum effor-
 mant,

* De febre pestilent. cap. xix. p. 362.

mant, haud comitantibus, seipsum manifestare, non equidem inficias ibo ; sed, si animum ad exemplum, quod protulit Van Swieten, advertamus, et reminiscamur hominem ab eo memoratum intra viginti et quatuor horas a tempore quo invaserat ira, hydrophobia captum esse, proxime obveniet recordandum, rabiem caninam non nisi post multos dies, imo aliquot menses, vel etiam, ut nonnulli auctores affirmant, annos, adoriri.

Exemplum quod retulit Boerhaave explicari potest, ratione habita ad fatigationem insuetam, et magnam quantitatem liquorum ardentium quos aeger biberat ; a quibus, scilicet, febris violentissima excitata est, delirio stipata : Ex tali conditione, horror aquae haud raro oritur ; atque ea causa forsitan Boerhaave rabiem caninam accessisse opinatus est. Sed a supra dictis mihi, cum multis aliis, colligere licet, hunc morbum nunquam revera contingere homini, nisi cum corporis quaedam pars veneno ab animali rabido recepto vitietur.

Vasis lymphaticis, nunc adeo a celeberrimo Monro illustratis, non difficile est, his in rationem assumptis, explicare quomodo venenum hoc lethale, una cum saliva animalis in corpus absorbeatur. Quamdiu hoc venenum in corpore lateat postquam absorptum fuerit, non apud auctores convenit: Experientia autem nos certiores fecit, diversa venena diversum temporis spatium, antequam proprios suos effectus edant, postulare; et hoc spatium variare secundum corporum, quibus admoventur, habitum varium. Attamen talia intervalla, ex eodem veneno applicato, ordine magis certo nonnunquam exiguntur; gratia analogiae variolas hic memorabimus, quae plerumque inter octavum et decimum diem a quo insertae sunt, seipsas manifestant; at virus venereum, quod ad tempus per quod iners manet, rationem quandam servat corporis ejus conditionis quae fuit, cum primo admotum est: De veneno, quo canis rabidus inficit, aliquod

dicendum est simile; id enim plerumque sub quintam, vel sextam hebdomadam se prodit: Prolata sunt ab auctoribus exempla, irregularia quidem habenda, quae (ut antea dictum est) non nisi post aliquot menses, vel etiam annos, vix autem rata auctoritate comprobata, veneni effectus ostenderunt. Ex variis autem rebus contingentibus, haec omnia venena, ut variis viribus pollentia, existimari possunt; atque hae res una cum corporis conditione causae sint varietatum, quas observamus in viribus morborum ab iis nascentium. Salivae rabidi animalis in mali stadio ultimo, quam in praegredientibus, plus viri inest.

Aliorum morborum causae, aequae ac hoc venenum, ante in corpore per tempus fat notabile latere videntur, quam ulli effectus morborum oriuntur: Sic nec variolarum nec febrium contagiones confestim inducunt morbos suos; sed in his corporibus citius, serius in illis: Nec scabies, nec lepra unquam, temporibus certis et definitis apparent.

Causae,

Causae, quae canes ad hunc morbum opportunos reddunt.

Supra conati sumus probare hunc morbum nunquam sua sponte in hominum corporibus oriri; nec aliquid eorum naturae inesse ad eundem *praedisponens*. Causae autem in canibus quae talem proclivitatem gignunt, hae dicuntur esse: *1mo*, Aëstus ingens, et diuturnus; frigus autem vehemens, et diutius admotum ad idem conferre dictum est. *2do*, Diaeta putrida. *3tio*, Aquae inopia: Et postremo exercitationis idoneae defectus.

Animadvertendum est praeterea canem, ex istis animalibus esse, quibus natura cutis meatus et foramina parum dedit; atque idcirco fudor non per cutem e corpore, ut in aliis animalibus, eliminari posse, sed omne a pulmonibus efflari. Inde hoc ex parte conferet, ut videretur, ad humores red-
dendas

dendas acriores solito, adeo ut aliis adjectis, et febre *sui generis* orta, venenum exinde genitum sit omni animantium generi lethale. Attamen, quantum ego novi, ab auctore nullo causae a quibus hic morbus revera in canibus ortum ducit, satis luculenter haëtenus explicatae sunt.

De signis quae in cane rabido conspiciuntur.

Momenti est maximi, quod ad hunc morbum praeventendum, signa quae canem indicant rabidum ad amissim cognoscere; ita ut caeso animali confestim, obstemus ne contagio apud homines, vel caetera animalia diffundatur. Ægre quidem hic in primo suo stadio ab aliis morbis distinguitur; sed brevi postea propriis notis insignitur, facile pernosendus. Hae autem notae sunt: Infelix animal moestum fit; aliorum canum societatem fugit; nec, ut antea, domino suo vel familiaribus abblanditur; latrat non amplius, sed murmura e-

dit;

dit; advenas adoritur; aures et caudam demittit; cibum vix aut ne vix appetit, aut denique eundem sine delectu et torpens affumit. Obtusa acie et hebeti fiunt oculi; paucis deinceps elapsis diebus anhelat; linguam exferit, et frendere incipit; alios canes vitat, et ab iis pariter vitatur: Incipit nunc supremum stadium; domo discedit; vagus procurrit; et infania vel fortasse cruciatu, quo vexatur, omnia animalia quibus occurrit morfu captat; et biduo vel triduo spasms correptus e vita discedit. Aliud est praeterea post mortem canis notatu dignum; si enim panis vel carnis frustum saliva animalis mortui illinatur, et cani alteri offeratur, ille, si rabidus fuit prior, utrunque esuriens, cum horrore respuit*.

Symptomatis conspectis, ab aliis facile hic morbus distinguitur; et, quodocunque canis observatur signa hujus morbi ostendere quaedam, semper ligari debet, dum de eventu

* James on Can. Madness.

ventu certiores fiamus; ad hoc quidem breve tempus sufficiet; atque canem, suspicionis causa solius, occidere crudele est: Primo enim dubitandum an canis fuerit rabidus, an non; et si aliquis ab eo morsum acceperit, aderit in futurum terror, ne rabies infecutura sit, et laceffent omnes horrores, quos periculum incertum, et omnis sollicitudo, quam dubitatio adferre solet.

Quae signa in hominibus conspiciuntur.

Postquam hoc venenum in corpus humanum absorptum fuit, et in eo per aliquod tempus latuit, (quod quidem, in diversis hominibus diversum est) dolor partis in qua virus erat receptum, lymphaticorum tractum sequens, primum symptomata est; exinde sequitur lassitudo torpens et iners; turbatur somnus; terribilia exagitant insomnia, convulsiones, et tendinum subfultus; irrequietus aeger suspirat, et moestitia gravatur;

gravatur; sanguinis detracti eadem species,
quae in secunda valetudine.

Haec primum stadium claudunt. Postea
qui morbo laborat de anxietate conqueri-
tur, atque de molesta et ardua respiratione
morret; et nunc aquae vel aliorum liquo-
rum ac cujusque rei pellucidae supervenit
sapor: Organa externa nimis sentiunt,
ita ut omne, quod percipitur, molestiam
inferat: Cibi appetitus deficit; tamen soli-
da multo facilius quam liquida ore sumun-
tur; arteriarum pulsus fit tremulus, sed
curtiusculus; subeunt tremores et convulsi-
ones validae; materia glutinosa et biliosa
vomitu ejicitur; cor palpitat insigniter;
urethrae titillationes insolitae molestant, et
stercina, propter spasmos, impetu infueto eji-
untur; penis et scroti contractiones valde
auctant; post urinam redditam profluit
semen*: Adest quoque salivae viscidae
fluxus copiosus.

Nunc

* Mead on poisons.

Nunc autem supervenit stadium tertium et supremum; in quo signa omnia jam memorata augefcunt: Omnes liquores cum horrore recusantur, lingua fit aspera; os hiat, et spumofae falivae magna quantitas in eo colligitur; hanc in adftantes confp^uere, etiam invito animo, rabies infligat. Rauca vox; fremere incipit aeger; verbosus quoque fit; fed, (quod mirum in tali conditione) tantum iudicii melioris fervat, quod percontantibus refponfa nequaquam aliena reddit; crebro nunc arteriae pulfant et languide. Tandem vero delirium atrox ipsum, nec ceffans, adoritur: Rifus adest Sardonicus; vehementes evadunt affectiones *fpafticae*; et demum, fpatio plerumque trium dierum, mors valde exoptanda, finem aegri miferiis imponit.

Quae incifis cadaveribus fe in confpectum e-
dunt.

Caufas morborum, et fedes indagantibus, faepe multum fcientiae utilis obtulerunt
cadavera

cadavera incisa ; in hoc autem morbo non multum confert ad istas detegendas ars anatomica : Celeberrimi quidem auctores annotarunt, organa *deglutitionis* esse plerumque inflammata ; quia vero hujus inflammationis signa non semper inveniuntur, patet *deglutitionem* non omnino propter eam impeditam esse : Mihi autem verisimile videtur, hanc inflammationem validis spasmodicis affectibus, et convulsionibus, quae inter morbi cursum infestaverunt, quandocunque liquores hauriendi, vel etiam in conspectu essent, adscribi debere ; in causa quoque esse, quod, magna copia salivae ex his partibus profluente, illae humoribus suis spoliatae fiunt. In cadaveribus nonnullis ventriculus et intestina reperiuntur inflammata : In priore necnon aliquando materia biliosa detegitur ; atque id organum haud raro aëre distenditur. Pericardium plerumque siccum ; arteriae sanguine plenae, et venae vacuae observantur. Solito aridiores sunt omnes muscoli, ut et

C

viscera.

viscera. Nonnunquam illaefum esse cerebrum videtur. Pulmones sanguine multo distenduntur: Cor eodem, fere semper coacto repletur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Convenit inter plerosque scriptores, huius morbi symptomata, a tenui quadam materia, sed admodum virofa, cum animalis saliva commista, originem suam ducere; quo autem modo nocet, et an nervos primo infestat an non disceptatum est. In medium etiam nuperrime hypotheses omnino inter se dissimiles ad hoc enodandum prolatae sunt: Paucae autem ex iis ad caliginem, qua res obvolvitur, dissipandum aliquid praestiterunt.

Default scriptor Gallicus dissertationem de hoc morbo edidit, in qua hunc morbum

a contagione vermiculari nasci conatus est ostendere; atque quorundam animalium exiguorum salivam ejus in causa esse; scilicet quia vermes aliquando in intestinis eorum qui huic malo succubuerunt, reperti sunt in hanc sententiam ivit; a scabie, quam animalcula existimata sunt inducere, analogia deducta, eam stabilire conatus est; et majori adhuc fiducia eandem promulgavit propter vim insignem (ut ab illo erat existimatum) qua adversus hunc morbum pollet hydrargyrum*. Sed si talis contemplatio vera esset, vermes in omnibus, qui hoc morbo interimuntur, inveniantur oportet; sic autem haudquaquam res se habet: Oportet quoque hydrargyrum magna saltem ex parte proficeret; sed experientia calamitosa omnino diversum contingere manifestavit. De his vero cum ad medendi rationem perventum sit, fusius differam.

Multo

* Sauvage dissert. sur la rage, an. 1734.

Multo praeterea ingenio ornatam in lucem edidit hypothefin celeb. Mead; opinatus est enim viri vim, fali concreto acri, cum eo commifto, deberi; atque ab hoc principio ejus actionem ad vim mechanicam retulit: Acuta funt, fecundum ejus doctrinam, his falibus fpicula; quae nervis incidentia, laceffunt eos; et una cum eorum fluido ad fpafmos ac convulfiones ftimulant ufque; hoc modo eorum munera perturbantur; et delirium, febris, atque alia fymptomata inducuntur*. Huic autem opinioni, utcunque speciofa videatur, multa obftant: Inter quae recenseatur, quod nobis nequaquam in propatulo eft, nec intellectu facile, quomodo hi fales, quibus tam acuta funt fpicula, tam diu nervis et eorum fluido (fi iftiusmodi fluidum revera fit) adjaceant, nec proprios fui effectus citius edant; cito enim, ut omnibus notum eft, alia ftimulantia hujusmodi eos afficiunt.

* Mead, edit. nov.

unt. Hac igitur ratione nobis licet ejus hypothefin refpuere.

Aliam vero, et etiam minus verifimilem, in differtatione ejus inaugurali protulit Heysham. Voluit ille hoc venenum effe acidum; et ipfum morbum propterea abforbentibus curandum. Paucis argumentis certe opus eft, ad talem opinionem evertendam; facile enim cuiquam patebit eam temere fufceptam effe, et infomnii fpeciem, potius quam ipfius ratiocinationis prae fe ferre. Quia fcilicet, abforbentia, propter quoddam medicamentum apud circumforaneos jaftatum, hunc morbum tollere exiftimatum eft, ille theoriam tali opinioni accommodare cupiit, et ideo hanc effinxit: At quia abforbentia adverfus hanc rabiem nihil valere probatum eft, fua fponde illa corruit: Plura autem de his medicamentis poftea*.

Sicque

* Vid. differt. inaug. Edin. an. 1777.

Sicque auctorum de hujus veneni natura, et modo quo effectus suos edit, opiniones quasdam recensui; earum vero nulla, quantum ego judicare possum nec dirorum quae sequuntur rationem perhibere, nec idoneo medendi consilio respondere videntur. *Modus operandi* quidem non solum venenorum omnium, sed praeterea contagionum, fatentibus plerisque, profunde in obscuro latet; Venia igitur me condonandum spero, si in errorem incidam, aggrediens, nequaquam fiducia, pauca de tam dubia re.

Quantum, effectibus suis, halitum, a quo typhus oritur, *humanum* dictum, simulat haec contagio, perpensum vellem; istis quidem non multum discriminis interesse, ut ego opinor, vix aliquem effugiet qui signa ab ambobus illata, rite in animo versabit: Quaecunque enim, hujus praecipue sub initium, in typho quoque clarius obscuriusve conspiciuntur, lassitudo nempe, torpor, inertia: Atque revera omnia, quae inter
morbos

morbos hosce progrediendos obveniunt, nervos insigni modo laborare indicant; hoc, in nostro morbo, testantur spasmi, contractionesque vehementes toti ejus progressui adnexi, et in typho provectiori non raro contingentes: Forte *canini* mali venenum, quam typhi violentius, magisque virosum; i. e. irritatio allata magis exquisita fit: At haec res a vario corporis habitu, quem afficit, varietatem accipiat; sique solummodo gradu signa discrepent, verum exinde morborum nequaquam oritur discrimen.

Id, in quo praecipue discrepant duo ista mala, est dira illa, et horrenda gutturis affectio, apud auctores nomine hydrophobiae insignita: At hoc signum nequaquam rabiei caninae omnino proprium esse, supra memoravi; ut et idem, testantibus multis auctoribus, juxta quarundam febrium finem, et subinde in hysteria se manifestare.

Quare vel quomodo tale signum in hoc morbo semper obvenit; vel qua ratione virus caninum gulam prae aliis partibus corporis

corporis appetit ; quomodo necnon (singulariter quidem) saliva hunc morbum communicat, nec facilis, si quaeratur explicatio, nec forte unquam erit.

Istarum quaestionum secunda non magis in propatulo, quam quare nervus forte in corporis extremis, unus aut plures lacerati, trisimum induceret ; quare scrophula, et carcinomata glandulis abundantes partes praecipue infestarent ; vel quare medicamenta nonnulla non nisi quasdam partes afficerent, hydrargyrum nempe glandulas salivam excernentes, cantharides urinae vesicam, &c. : Quae quidem inter naturae arcana nunc, et forsitan in aeternum latebunt. Quod ad tertiam quaestionem non prorsus absolum erit si responde^atur, quod quandocunque corporis pars quaevis irritatione afficitur, ad munera sua, quaecunque sint, peculiari et insolito modo excernenda, eadem proclivis fit ; quod praeterea exinde, humores talis indolis fecernuntur, qualis in animali altero similem actionem citat ;

eat; vel (eodem spectat enim) quod virus absorptum, et per corpus delatum, praecipue glandulas salivam secernentes arripit; vel denique affectio ex consensu inter cerebrum et intestina intercedente, partim fortasse pendeat: Idcirco quod haud parum hujus veneni, et ista *contagionis*, actio se mutuo simulant, suspicari non omnino sine causa erit.

CAUSA PROXIMA.

Si mali, cujus origo tantum absconditur, proxima causa exhiberi posset, ad usum medicum promovendum haud leviter conferret; et utcunque tale negotium, venenorum natura, hujusque praesertim, tam obumbrata, omnibus difficile videatur; ex signis tamen quae adfert hic morbus de proxima ejus causa aliquid conjicere haud

D

vetatur.

vetatur. Nervos ideo debilitate et organis propterea nimis sentientibus correptos, ideoque facilius per totum corpus, at magis adhuc per tubum alimentarium irritandos, pro causa proxima non sine causa haberi posse nobis videatur: Haec quidem corporis conditio nervorum fontem, et originem, cerebrum nempe, infestanti veneno, et debilitatem aut inertiam inducenti forsitan imputetur; imminuta exinde, ejus excitandi facultate.

Venenum tali modo agere vix dubitandum relinquunt varia morbi signa; omnia enim debilitatem inferre verisimile reddunt; istud praeterea, quod maxime insigne est (viz. hydrophobia, et musculorum gulae affectio) facillime explicandum est, si pro explorato habeatur fibrarum musculorum irritandi facilitatem, omnibus quae vigorem suum minuunt, augeri; exindeque cunctis infirmantibus.

Nec quaecunque alia ad rabiem caninam pertinent haud, ni fallor, eadem ratione,
(non

(non etiam excepto delirio) explicanda; delirium enim morbo jam provecto, et faeviori oboritur; sicut in quibusdam febribus a cerebri imminuta incitatione provenit.

Venenum hoc idcirco nervis praecipue infestum esse opinamur; et a potestatibus moventibus, solummodo pendere omnes mutationes quae varia corporis munera afficiunt.

Non meum est, ut de diagnosi verba facerem; quia signis supra recensitis, facile ab omnibus aliis hic morbus distinguitur.

PROGNOSIS.

Certam in hoc morbo prognosin, aequae ac in multis aliis morbis statuere perdifficile est: At quidem, propter adversam hactenus nostrorum remediorum fortunam, exitum felicem augurari raro possumus. Nihilominus

minus quia a signis aliquid judicare et discernere penes nos sit, non semper, ut animum despondeamus convenit; nec oportet quamcunque morbi speciem penitus insanabilem habere; nostrum solummodo est, ut quandocunque res difficultate insigni implicentur, inscientiam nostram fateamur. Quamvis enim, in hoc vel antea elapsis seculis, remedium ad hunc morbum tollendum valens, haud repertum fuerit licet nihilominus sperare tale, venturos forte inter homines, se proditurum esse. Ab hoc ad illud humanus progreditur animus, omnia tentans; et ad alteram in magna scientiae catena perducit unaquaque commissura. Morbus quidem eo assurgere potest, quod labem inde, in corporis variis partibus acceptam intuentes, et vim qua per totum pollet in animo colligentes, jure, nec interjecto dubio, praedicare non vetamur, eundem cum talis in quocunque homine saevit, insanabilem esse. At in diversis mali stadiis, valde diversa inferre permittitur.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Hoc revera caligine atra obtegitur : Plerumque enim miserrimus, quem hic morbus adortur cito fati succumbit; etiam quamvis omne remedium, quod vel theoria excogitavit, vel experientia commendavit adhibitum fuerit. Audivimus autem eundem sanatum esse; igitur, etiamsi in nullo morbo quam in hoc plus fallaciae, femitam, quam hujusmodi experientia designavit, sequar.

Illa quidem duo sanandi consilia indicat; quorum primum in veneni effectibus oppugnando constat: Alterum vero in duas partes dividitur; in eam quae irritandi facilitatem nervis minuit; et, *2do*, quae corpori robur impertitur. Cujuscunque aevi scriptores in hanc sententiam ierunt, quod, malis quae ex rabidi animalis morfu sequi solent,

solent, praecipuum est ut antea obviam eamus; et idcirco primum nostrum consilium optime perficitur, ressecando partem illam cui morsus inflictus erat; tali negotio convenit scalpellum; incisio profunda debet esse, et latior, ne quaedam veneni pars fortasse supersit in homine. Nonnullis crudelia videntur talia vulnera; atqui dolor per tantulum temporis vexans nihili habendus est, cum diris, quae sequi minantur, collatus. Eadem insuper medendi ratio a Boerhaave *, Prestwick †, et aliis scriptoribus laudata est: Idem quoque sentit Mead, nos monens, talem hujus morbi curationem esse vel extemplo post venenum receptum, vel paucis diebus tentandum, et antequam hydrophobia vel aquae horror supervenerit ‡.

Attamen quam longo intervallo post morsum acceptum haec operatio cum exitu

tu

* Aphorisms.

† Treatise on poisons.

‡ Treatise on poisons.

tu felici usurpari potest, disputatur: Quidam auctores asseverarunt eam nihil boni allaturam esse, nisi extemplo in usum veniat. Sed *ex analogia*, ratione a variolis ducta, fortasse nobis colligere licebit hanc operationem profuturam esse, etiam si per complures dies a morfu dilata fuerit: In variolis enim docuerunt experimenta, quod si pars, cui materies inficiens admota erat, earundem propagandarum gratia, etiam diebus aliquot post ejus applicationem excindatur, ne ullus morbus ejusmodi insequatur.

Equidem sat difficile est, absorptione nunc serius contingente, propter varia multa et temperamentorum peculiaria (ut supra memoratum) statuere quo tempore hoc venenum effectus suos edidisset. Illust. Cullen, a cujus ingenio et industria medicina tanta accepit de hoc morbo differens, sic prolocutus est: 'I am, in the first place, 'firmly persuaded, that the most certain 'means of preventing the consequences of
 ' the

‘ the bite, is to cut out, or otherwise de-
 ‘ stroy, the part in which the bite has been
 ‘ made. In this every body agrees; but
 ‘ with this difference, that some are of o-
 ‘ pinion that it can only be effectual when
 ‘ it is done very soon after the wound has
 ‘ been made, and they therefore neglect it
 ‘ when this opportunity has been missed.
 ‘ There have been, however, no experi-
 ‘ ments made proper to determine this
 ‘ matter; and there are many considerati-
 ‘ ons which lead me to think, that the
 ‘ poison is not immediately communicated
 ‘ to the system; and therefore, that this
 ‘ measure of destroying the part may be
 ‘ practised with advantage, even many
 ‘ days after the bite has been given *.’

Postremo, ab experimentis didicimus, ul-
 cus venereum, si recentius sit, omnino ab-
 scissum, morbo ipsi ulterius progressuro om-
 nino

* First lines of the Practice of Physic, vol. 4. p.

nino obstare; dum vulnus brevi sanatur. Ex istis igitur, opinor hanc operationem semper praestare; etiamsi venenum per temporis intervallum breve adhibitum fuerit antea. Parte excisa vulnus per aliquod tempus apertum, nec sanatum fonticulis, vesicatoriis, vel aliis *escharoticis* fervetur necesse est.

Perhibuit historiam Fothergill, ancillae cujusdam, et ejus domini; qui ambo a fele rabido morsum passi erant: Vulnus quod acceperat ancilla, per diuturnum tempus non potuit sanari; domini autem interea, quia ille leviter tactus erat, cito evanuit: Ille hydrophobia captus ex vita decessit; dum ancilla, ulcere veneni absorptionem praeveniente, morbum omnino effugit.

Quandocunque autem nobis non concedatur facultas morbum hoc modo tractandi, cucurbitulae forsitan, et scarificatio nostro proposito respondeant. Memorata sunt praeterea a quibusdam auctoribus cauteria ambo, ut ea, quae insigne commodum at-

tulerunt: Atque revera, si fatis morbosarum partium esset ab iis deletum, certe proficerent: Veruntamen istas partes scalpello eximi magis optandum videtur; quia dolor, quem cauterium infert, multo diutius perstat, et fortasse magis nocet, quam ille, quem scalpellum.

Partem quoque vulneratam exfugere, a scriptoribus, etiam celeberrimis, praeceptum est*: Nequaquam vero existimo, tale opus suscipi debere, quia fugenti multum periculi forte adferat; timendum est enim, ne veneni pars quaedam, linguae, gingivis vel faucibus adhaereat, et ab iis absorbeatur: Atqui hoc semper, ex necessitate, citius adhuc efficietur, si in his partibus sit ulcus: Num autem tale venenum, si aliquo casu in fugentis ventriculum reciperetur, innoxium esset, statuere haud possumus: At si ex *analogia* inferre liceat, ille fugendi modus, ut remedium in hoc morbo laudatus fuit, propter

* Celsus de re med. lib. 5. p. 226.

propter ejus efficaciam (ut auctores dicunt) in eximendo viperæ venenum: At ratio, qua hoc et illud venenum organa vitalia afficit, valde diversa est: Etenim canis rabidi venenum (ut supra expositum) absorptione agit; non autem nobis pro certo est, viperæ venenum hoc modo afficere; quia vix in animo concipere possumus, quomodo absorptio contingere potest, quum venenum viperinum effectus suos, in perpauca horis, imo interdum horae momentis edit. Patet igitur ex hoc viperæ venenum principium vitae confestim laceffere, et ejus agendi potestatem dirimere: Experimenta docuerunt opium istos nervos, quibus recta applicatur, primo moleſtare; et inde per conſenſum, non per abſorptionem caeteros. Lethum vero ab abſorptione inferri poſſe ex exemplis ſupra recenſitis in propatulo eſt.

Huic praeterea conſilio reſpondeat cautelicorum applicatio, ſi ex iis factum ſit ulcus ſat amplum, et profundum, et per tempus ſat longum ſanari prohibeatur. Praecipue

cipue vero convenit haec applicatio, quando pars, cui morsus inflictus est, non facile excindi potest, ut oris partes quaedam, &c.; tunc enim causticorum idonea applicatio maxima commoda pollicetur: At scalpellum, quandocunque rite usurpari potest, antefendum est. Atque hoc modo primum nostrum consilium perficere conamur. Antequam vero secundum, nempe id quod curationem respicit, aggrediamur, forte pretium erit operae, nonnulla remedia specifica dicta, et a quibusdam magni nominis scriptoribus insigni laude commendata perstringere. Praetermitto quidem id *Æschriontis* a Galeno, et Oribasio nobis traditum; id scilicet quod a cancris uftis componitur; nugas nec non Peregrini hyenae pellem induere suadentis; una cum pulvere Palmarii adeo jactato; cancrorum quoque *fluvialium*, cum theriaca, cineres ab *Ætio*, Rufo, et Possidonio commendatos; turpethum minerale quod James tanta laude extulit; et stannum cum Mithridatio,

datio, a Mayern et Grew commendatum. Cynorrhodi quoque radicem, etiam si infomniis coelitus commonstrata fuisse dicitur; et canis rabidi jecur exustum; Pimpinellam insuper ab Henrico, ejus nominis secundo Galliae rege, medico suo Fernelio indicatam; et multa alia: Nec nisi ad ea, quae hodie in usu sunt, quae apud multos celebrantur, quaeque a medicis magni nominis ingentes laudes acceperunt animum advertam. Horum primum obvenit id medicamentum, quod a vico *Ormskirk* nomen accepit, majori attentione quam alia, observandum; quia idem in hujus malis curatione multum profuisse dictum est, et etiam hodie in Angliae quibusdam partibus septentrionalibus celebratur: At si medicamenta singula, quibus hoc conficitur, perlustremus, patebit quod ne unum ex iis aliquid contra hunc morbum valere potest: Haec enim sunt;

R. Pulv.

℞. Pulv. Cret. ꝑss.

— Alum. gr. x.

Bol. Armen. ꝑiii.

Pulv. Enul. Camp. ꝑi.

Ol. Anif. gtt. vi. Misce.

Tale quidem est remedium a multis magni aestimatum, adversus malum tam atrox et periculosum. Inter omnes constat, cretam non nisi absorbere. Alumini dotes sunt stypticae; atque bolo Armeniaco similes, sed minores gradu: Helenii vero radicem fere iners esse medicamentum, vix ulla virtute praeditum, nemo ignorat; unde vix unquam in ullo morbo usurpatur: Oleum anisi non nisi ad caetera miscenda inter se, et saporem palato jucundiorum iis impertiendum inservire potest. Haec compositio tamen ab Heysham (ut supra dictum est) ut omnino ad rabiem caninam curandam apta, miris laudibus fuit celebrata.

Tamen ipse Heysham non negat quod hoc remedium in multis exemplis defecit; de istis autem hanc excusationem praetexit,

‘ An

“ An cortice Peruviano intermittentes,
 “ mercurio lues venerea, sulphuri pfora,
 “ semper cedere inveniuntur ?” Si vis, qua
 pollent adversus hos morbos remedia ista
 eum effugit, talibus respondendi veniam
 posco ; nempe, quod plerumque (humano
 generi fausta quidem res) illorum morbo-
 rum mali effectus ab his ipsis remediis op-
 pugnantur revera ; non autem credo, etiam
 unum exemplum caninae rabiei verae ab
 ejus laudato medicamento sublatae proferri
 posse. Haud mirum mehercule est homi-
 nes theorias proprias, totis viribus suffulcire
 cupientes, eorum gratia argumenta non-
 nunquam inepta amplecti. Multa quidem
 a variis auctoribus memorata, illud parum
 proficere ostendunt ; quae ut recenseam,
 haudquaquam necesse est. Quando symp-
 tomata probe conspecta sunt, facile appa-
 ret, talia ab acido (ut ab illo erat existima-
 tum) nequaquam suam originem posse du-
 cere.

Hic

Hic praeterea animadvertere fas est, quod ex multa observatione ratum fuit, plurimos ab animalibus rabidis morsum passos, nec tamen morbo hoc captos esse. Retulit Vaughan, quod ex fere triginta hominibus aliquando eodem cane rabido morsis, non nisi unus hoc malo correptus est * : Itaque si hoc medicamentum omnibus istis hominibus imperatum esset, omnes proculdubio ab eo convaluissent, praeter unum illum ; et exinde fides insignis, quod ad ejus dotes, et potestatem adversus hunc morbum, ei contigisset.

Pluribus de hujus medicamenti inutilitate non opus est ; mentionem illius profecto non fecerim, nisi gratia eorum, qui de ejus natura forte ignari sint ; ut caveant, ne hujus morbi jam provectioris curationem tali remedio sperent, vel in eo fidem reponant.

Alterum medicamentum hoc nequaquam efficacius a Georgio Cobb Equite, nobis fuit

* Cases of Hydrophobia.

fuit commendatum, remedium *De Tonquin* appellatum a loci nomine unde ad nos asportatum est; hoc apud Sinenses nunquam fallere existimatur; merito autem hodie negligitur: Haec sunt illa ex quibus conficitur

℞. Cinnabar. Nativ.

Facit. *a a* gr. XXIV.

Moschi gr. XV. Misce, fiat pulv.
subtil.

Haec sumenda sunt in cyatho liquoris ejus qui *arrack* nuncupatur; et si intra paucas horas postea non prorumpat lenis sudor, remedium iterandum est: Attamen omne commodum, quod ab eo provenire potest, moscho, qui vi pollet antispasmodica certe debetur. Propter tales equidem dotes, adversus spasmos, quae in hoc morbo contingunt, utile sit forte.

Ille pulvis, quem laude efferebat Mead, ex lichene cinereo terrestri, et pipere nigro componitur. Licheni hujus medicamento efficacia attribuitur; id quidem a materiae

medicae scriptoribus acre diureticum habetur ; at si de vegetabilium natura quicquid ex eorum gustu detegi possit (quod magna ex parte conceditur) licebit colligere hoc parum vel etiam minime adversus aliquem morbum profuturum ; non enim ex eo percipitur vel aliquid pungens, vel ullus sapor insignis palatum afficiens.

In *actis philosophicis* * plantam quandam, viscum sambucinum nuncupatam †, et in quo ad hunc morbum sanandum, multum fidei reposuit, commendavit Dampier : Eadem cum venae sectione, et balneo frigido usurpari voluit : At hoc medicamentum jure obsolevit.

De balneo frigido nunc tractandum est : Hoc quidem adversus hunc morbum in usu fuit olim ; sed nuper etiam ut *antidotum* laudatum est. Idem laudat Celsus, non solum ut remedium prophylacticum, sed etiam

* No. 237. ann. 1780.

† Tremella Auricula. Lin.

etiam ut utile in ipso morbo sanando ;
 “ Ægrum in piscinam projici nec opinan-
 “ tem nec eam antea conspicientem jubet,”
 modo quoque mergere, modo attollere,
 “ usquedum ore etiam invitus aliquid
 “ aquae sumpserit ; sic enim simul, et si-
 “ tim, et aquae metum auferendum fore*.”

Nec minus a Boerhaave laudatum est bal-
 neum frigidum : At in contrari^a senten-
 tiam ierunt multi alii auctores † ; asseveran-
 tes nil boni unquam ab eo oriri : Nourse
 praeterea in *actis philosophicis* exemplum
 memoravit, quod horum sententiam valde
 confirmare videtur ; adolescens enim qui-
 dam in pollice morsum a cane rabido ac-
 ceperat ; in mare decies immergebatur ;
 ut antidotum, illis temporibus celebratum
 magnopere, nempe pulverem antilyssum,
 per quadraginta dies, ore fumebat ; nihil-
 ominus

* Celsus De re Med. lib. V.

† Berkenhaut on the Bite of a Mad Dog ; Fother-
 hill, Philos. Transact. &c. ; Hamilton on the Hydro-
 phob. &c. &c.

ominus post menses undeviginti hydrophobia correptus peribat; etiamfi intra hos menses ab operatione in eum propter calculum vesicae extrahendum instituta convalescerat*.

Duo similia exempla retulit venerandus Morgagni; in istis hic aeger, ipsa nocte balnei frigidi usum insequente, mortuus est; ille cito postquam ab eo ascenderat. Nec praetermittere possum exemplum alterum quod in *actis medicis* retulit Munckly: Quidam a cane rabido mordebatur; et ejusdem diei vespere ad maritima discedens, apud ea per decem dies mansit; intra id tempus saepe lotus est; nihilominus hebdomadis sex elapsis, captus rabie canina succubuit fati. Collatis autem omnibus licere videtur nobis de hoc remedio collecturis, exempla in quibus id nec morbo huic obstitit, nec eum sustulit, innumera esse.

Laudatus est, quod ad hunc morbum sublevandum, ab auctoribus celeberrimis,

hydrar-

* Acta Philosop. No. 445.

hydrargyri largus usus : Van Swieten, Sauvage, James, cum aliis compluribus, magni hoc medicamentum habuerunt ; ut et auctores adhuc recentiores, ut De Laffone, &c. ; atque etiam illuf. Cullen ipse ait, “ That more advantage feems in practice to have been derived from this than “ from any other remedy * :” Multa quidem narrantur utilitatem ejus, et aequae multa, nihil id ad hunc morbum praeverendum valere testantia. De Laffone inquit hoc medicamentum in decem ex quinque et decem hominibus, qui omnes, alii intra viginti, et quatuor horas post alios, a lupo rabioso morfum acceperant, tentatum esse : Horum hominum tres *ostreorum* testis, in pulverem redactis fretos (nec hoc valde diffimile a medicamento quod apud Ormskirk ~~venit~~) paucis diebus furiosos et delirantes factos e vita excessisse : Quartum, medicum non arcessentem, donec morbus se manifestaverat, rabie correptum et

* Practice of Physic, vol. IV.

et extinctum esse : Undecim qui supererant, advocato medico, imperatum esse hydrargyrum ; horum unum, postquam id per dies decem sumpserat, hydrophobicum factum spatio quadraginta, et octo horarum mortuum ; tres alios denique inter hydrargyrum utendum sublatos : Caeteros vero (ut ille opinatur) ab eo sanatos.

Licet autem hic, non sine gravi causa, suspicari residuos illos talem infectionem nunquam accepisse.

Default ejusdem remedii fautor praecipuus, existimabat morbum hunc a vermiculis valde exiguis originem suam trahere ; et propterea, quia hydrargyrum contra vermes pollet, idem quoque illum fugaturum. Haec autem theoria, potius ex sollicito somnio nata, quam animo vigilante et sui compote videtur esse : Non amplius igitur in eam morabor. Opinor equidem, quod si exemplis multis, a scriptoribus prolatis, hydrargyri incassum et sine ullo commodo tentati, credere fas sit, licebit quoque

quoque colligere non multum fidei in eo ut prophylactico, multo minus ut medicamento penitus morbum sublaturum repouendum esse : At nihilominus, quantum proficiat experientia hactenus non satis indicavit. Cheyne et alii putarunt, quamquam hydrargyrum large in corpus injectum deficiat, id tamen, non ultra salivationem progrediendo, nostris votis respondurum esse : De hoc autem multum dubito ; si enim ex *analogia* rationem inferre liceat, comperiemus, hydrargyrum luem veneream, saliva proritata, solvere certius quam si talem effectum non praestitisset.

A quibusdam prolata est et alia ratio indicans, similitudinem inter rabiem caninam, et luem veneream intercedere ; quia virus, quod utrique morbo causae est iisdem vasculis, lymphaticis nempe, absorbetur : Non autem inde, quantum ego judicare possum, sequitur, hydrargyrum, quia unum morbum hujusmodi tollere solet, propterea omnes qui per illa vascula in corpus irrepant,
subla-

sublaturam esse: Huic quoque sententiae obstant variolae; earum etenim contagio, quanquam iisdem vasculis acceptum, neque unquam hydrargyro deleri repertum est; neque ipsum morbum, postquam semel id corpus infecerit, ab eo praeverti; corruunt idcirco eorum argumenta, et sua mole prolabuntur.

Mea quidem opinione, multum mali saepe ab hoc medicamento oritur; quot enim hominum corpora ab eo vel nimis vel intempestive usurpato infirmata et quassata quotidie licet aspicere? Quot medici idem temere adhibent, potentiam qua humanum corpus afficit nihilominus ignorantes? Oportet autem illum, qui hoc imperat, non solum perspectas habere vires ejus cum aliis rebus mixti, sed etiam quando solum adhibetur. Revera medici multum interest et structuram cujusque nostri corporis partis, et usum pernoscere.

Nulla quidem fides ad illa, quae afflicta sunt, nomen hujus morbi remediorum *specificorum*

ficorum adjudicanda est ; quia vix aliquem latet hodie, quam exigua, si ulla, vi ejus veneno adversantur, quandocunque pro certo habemus corpus ab eodem infectum esse : Quoniam vero aliquibus talis *crasis* et propriam quoddam sit, ut nunquam hoc malo infici possunt, specifica illa ex talibus corporibus nomen suum infigne acquisierunt.

James de hac re differens inquit,

“ Perhaps, out of twenty people reported
 “ to have been bit by mad dogs, the fact is
 “ not true with respect to two. For many
 “ receive a bite from a strange dog, in
 “ consequence of their own folly and im-
 “ pertinence, which I think every one
 “ guilty of, that teazes a dog, or endea-
 “ vours to fright him wantonly ; and on
 “ these occasions, the consequence of the
 “ aggressor’s impudence is ascribed to the
 “ madness of the dog, who immediately
 “ runs away, and is heard of no more, or
 “ is killed, and is concluded to be mad,
 G “ though

“ though perhaps more rational than the
 “ fool that provoked him. Then some
 “ specific is administered; the person con-
 “ tinues well, and the remedy acquires the
 “ reputation of having cured a distemper
 “ that never existed in that subject, or of
 “ preventing one, that could never be ex-
 “ cited by that cause *.”

Curationem, quae maxime idonea vide-
 tur, aggrediens, (quia nullum remedium
 unicum semper venenum e corpore ejiciens
 haecenus cognitum fuit) duo consilia pro-
 ponam; nempe, *1mo*, Nervorum irritandi
 facilitatem nimiam minuere, et cavere ne
 corpus inde nimis exquisitè sentiat; *2do*,
 Robur corpori impertiri. Primo consilio
 opium quod forsitan hac vi, nempe irrita-
 tionis minuendae, omnibus praestat, liqui-
 da sub forma adhibendum; quia quando
 pilulae ex eo usurpantur, illae non con-
 festim solvuntur, et idcirco serius effectus
 suos edunt: Si aeger huic medicamento
 assuetus

* James on Canine Madness.

affuetus fuerit, guttae sexaginta uno tempore sumi possunt, si non quinquaginta forsitan sufficient, haec quantitas ter quaterve in die, uti symptomata urgent, propinentur. Nunc oportet quidem ut valide nitamur, et ut quam maxime leniamus faucium irritationem; nam ea in hoc morbo multo magis quam in ullo alio exquisita est; etenim solida interdum deglutiri possunt, dum etiam levissimus cujuscunque liquoris contactus convulsiones ciet; quam celerrime igitur huic occurrendum est. Quando hoc accidit opium in pilularum forma imperari debet, quarum cuivis opii duo grana insit; earundemque quinque aut sex quotidie sumantur; aucta quantitate gradatim eo usque quo aegri ventriculus finit aut perferre potest. Sed si opium nec solida nec fluida forma ore assumi potest, tunc clysmata emollientia, quae septuaginta vel octoginta laudani liquidi guttas continent, imperentur et repetantur saepissime. Si opium defecit, tunc alia remedia tententur,

tur, ut aether vitriolicus, cujus drachma femif. fingulo quovis tempore est capienda, et ter vel quater in die iteranda. Postremo, hoc deficiente, nos tentare oportet, moschum, sub quacunque forma velit medicus. Sed in hoc morbi stadio spes maxima nostra ab opio oritur, itaque imperare eum debemus in quantitate tam magna quam aegri vires ferre possunt. Ab eo remedio enim forsitan irritationi occurremus; et spasmi ac convulsiones ab ea pendent maxime lenientur.

Secundam nunc partem appulimus, nempe ut corpori robur redintegretur; ad hoc confert eximie cortex Peruvianus, ut ecligma, juglandis magnitudine, assumendus, quotidieque iterandus quater vel quinquies, prout ventriculus ferat aegri; cui quoque permittendus cibus nutriens, et vini quantum velit. Si cortex Peruvianus nauseam inducat, ad parata ex chalybe confugiendum est; e quibus ferri rubigo optime pollicetur, quater, e *charta farinacea* quovis die,

die, usque ad scrupula duo, *assumpta*. Si vero tantum increverit, morbus, quod non amplius aliquid aeger aut solida aut fluida devorare possit, desperandum fere omnino: Quantum possumus nihilominus tentandum; infelici caput radendum; et imponendum quod totum cranium obtegat epispasticum: Gutturi quoque extrinsecus cataplasmata laudano tineta, saepius imponenda.

Ut clysmata injicienda sunt quoque forbitiones valentiores, et juscula opii aliquanto commisto; laxantia quoque eodem modo, ut liquetur alvus, usurpanda, etiam per morbum totum. Atque his rationibus forsitan tantum irritandi facilitatem fauces infestantem debellare, ut aliquid devorare possit aeger, penes nos sit; et rebus sic se habentibus etiam in diro hoc malo remediis supra memoratis ipsa sanitas forte revoce-
tur.

Finita nunc haec brevis dissertatio: Quam manca et imperfecta sit nequaquam ignoro.

ignoro. Interea autem spero, hoc non ad ingenii inopiam omnino adscribendum fore; res enim ipsae ad tale opusculum pertinentes in occulto latent, et tenebris obvolutae animi aciem fugiunt; nec propterea scriptori quae sufficiat, materiam suppeditant; ita ut, etiam post hunc tractatum inceptum, pene ab eo desivi, aliud argumentum profecuturus. Qualiscunque vero fit, subest spes quod omnis lector ingenuus in tali re mendis, quae forsitan insint, ignoscet.

F I N I S.

ANNUAL REPORT

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

THE END

1881





